

P V I S

1 6 1 8



- | | |
|--|---|
| I. Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptus die. | |
| II. Beremanni paraphrasis Psalmorum 121. 91. 123. 124. | |
| III. Beremanni paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09. | |
| IV. Beremanni paraphrasis Psalmi 08. | |
| V. Beremanni Epipemphion Psalmorum 91. 97. | |
| VI. Beremanni Psalmi 104. 0. 19. | |
| VII. Polletari Paraphrasis Prometei Ione | XXIX. Epitaphium Johanni Ernesto |
| VIII. Munderphii paraphrasis Ione. | epi Anhaltino v Alberto Voite dictus. |
| IX. M. Iacobi Gregorii Jonas. | XXX. Petrus in obitum Eiusdem Primobis |
| X. Joannis Fabri de Nativitate Christi. | XXXI. Angelii ad Barthelem de Wschmitz. |
| XI. M. Theodori de Nativitate Christi. | XXXII. Memoriae Damolii Diepholdii. |
| XII. Wiltzeri Ode de Redemptionis Obere. | XXXIII. Abrahami Cremeri de preemptione ad Polin. |
| XIII. Optii de Peccatu Christi ad Inferos. | XXXIV. Propemptica Fyfelio et Cremero dicta. |
| XIV. Domarii Heptas simulacra Resurrectionis | XXXV. M. Victori, cum renuntiaretq Rector. |
| XV. Sfortiorib. ubiq impudentissimis. | XXXVI. Ode Sapphica in Doctores Honoratus |
| XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano. | Fyfelii & |
| XVII. Praetori Epistola Germaniae ad Electores. | XXXVII. In Magisterii Honore Joh. Cram |
| XVIII. Moiti & Anna ad Christianum Pr. Anhalt. | XXXVIII. M. Roderici in Magisterium Haberlandi. |
| XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. An. | XXXIX. In Magisterium Coppenui |
| XX. Henrici ab Eichen ad Maunicium hysse. | XL. Bethmanni Herdesiani. |
| XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand. | XLI. Christiani Vogleri. |
| XXII. M. Ambrigeri ^{es. 1701} Statulatio in Natalem | XLII. Abrahami Theopoldii. |
| Rudolphi Principis Anhaltini. | XLIII. M. Coppenui Gratiam. hinc in Magis |
| XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. An. | XLIV. De Dignitate Conulari Trevesi. |
| XXIV. Beremanni Ecloga Rodolphus. | XLV. De Dignitate Nthariatus Gelami. |
| XXV. Bromii Nuptis ratis Rudolphi Pr. | XLVI. Apocryporum Politiconum sigula. |
| XXVI. Wrsim et M. Jeno Nuptis | XLVII. Nuptis Petri a Jena. |
| eiusdem. | XLVIII. M. Pucmeri. |
| XXVII. Parentalia Augusto Electori a | XLIX. M. Richardi. |
| D. Maiore habitata. | L. Wolfgangi Hanen. |

HONORI NVPTIARVM

QVASORNATIS

SIMVS VIR, PIETATE,

doctrina, & omni virtutum genere præ-
stantissimus D. M. IOHANNES PVCH-
NERVS, Scholæ Crofnensis moderator,

Cum

Lectissima Virgine VVALPYRGA, Reve-
rendi & Clarissimi Viri, THEODORICI
FABRICII, S. Theologiæ Doctoris & Su-
perintendentis Servestani B. M. filia, ce-
lebrat Servestæ 10. die Aprilis,

Anno Christi

1581.

Scrib. & dd.

GEORGIVS TILNVS AV-
rimontanus S.



VITEBERGAE

In Officina typographica Simonis Gronenbergii.

IMMANUEL.

VICIT LEO DE
TRIBV IVDA.



EPITHALAMION.



Venere, tuo qua quondam
oracula amanti
Auricoma quidam veniens
ab Oreade ad Albim
Reddidit, hanc Parcas albē-
ti stamine lucem
Ducturas, socio juga qua Cy-
thereia nexu

Tecum Fabricio sata Christi interprete Nympha
(Tunc Eglen, nisi Musa memor male, Jane, vo-
Accipiat, castosq; tori ingrediatur honores. (cabas)
Jam lux illa recens leto jubar exerit axe:
Jam precibus sancit flamen sacra pacta; manusq;
Aureoli nectunt orbes; precordia flagrans
Nectit Eros. viden' obtutu ut sua lumina prono
Defigit Sponsa, & dulci probitate rubescit:
Cui molles violas calatho Ver divite fundit
Spargendasq; aula thalami, sertisq; ligandas.
Ipse stupens adeo miraris, Jane, tenore
Tum placido, quem vix ullis promittere votis
Ausus eras tibi, jam tadas ardere jugales;
Cum primo, quinas hyemes, ab amabilis Egles
Alloquio, à prima felicitis origine flamma,

A 2 Digressu

Digressu interruptus amor se pectoris imi
Abdiderit clausum in latebra, tacitusq; cubarit:
Qualiter obducti cinis ignis semina celat.
At nunc aura Jovæ divino ventilat illum,
Ad flatu, quassansq; faces incendia clara
Excitat, eq; suo dat nutrimenta calore.
Felicem ò flammam, quæ cœlite pascitur igni.

Ergo reus voti ad thalamum genialibus adsum
Carminibus. Pateras, immani aut pondere lances,
Signatumve viris armisq; micantibus aurum,
Dona ferunt alii, rebus Rhamnusia quorum
Æquior est, quibus auriferis in limina guttis
Pactoli liquor undat: opes Permesside in unda
Cerno meas. hæc si non parca aspergine versus
Perfundat; nil sceptræ Mide affectamus, & au-
Pinguis erat ingenio, quãvis ditissimus auri. (rum.
Aude, Erato, contemnere opes, contentaq; vive
Fructibus Aoniis. hoc fas; hinc munera Sponsis
Prome novis. Nanq; hæc festa ad solennia, cœtus
In medios, mensasq; virum, Sponsiq; parentem,
Et Sponsæ, egregios arcessam carmine manes,
Non quali tumulos Circeia saga laceffit,
Sed quod defunctum decus & præconia spiret.
Quippe opus id Musis proprium est, vivace sepultos
In

In lucem calamo, memoriq³, reducere fama,
Et dictis ornare bonis. Huc vertite gressus,
O dulces anima, prolisq³, invisite vestra
Auspiciis hymenaeum aquis, atq³, omine læto:
Tuq³, prior, quem cœlestis Sapientia alebat
Ambrosio fructu, FABRICI, cui tempora Musa
Sionides foliis lauri incircxère sacrata,
Aut palma potius, quæ pondere celsior exit.
Nam tunc omninò referebas robora palma
Pectore inoppresso, cum Dux, cui Martia paret
Hassia, ad infelix hominum genus (alta Deorum
Qui fingunt sibi colloquia, et raptū æthere hiantes
Opperiuntur; at omne movent à munere Verbi
Intereà pondus, furiaq³, agitante calescunt,
Disturbantq³, toros, & sacri fluminis usum.)
Mitteret ex aula te, sollicitusq³, juberet
Demere pestem animis, veraq³, accendere lucem
Doctrinæ. Hic quãvis tibi consors muneris hujus
Nudaret latus abscessu, eventumq³, timeret:
Haud tamen abs te digna sacro vigilantia. Vate
Absuit, aut fervor pius, atq³, industria constans:
Dum quem turba locū monitis dabat, omnia nec
Miscebat vecors furor, exuperansq³, terebat (dum
Sub pedibus, leges, sacra, & monita optima vatū.
A 3 Cedebas

Cedebas fatis tūm demūm, ac tuta petebas.
Si decus est igitur, *M*avors ubi praelia miscet,
Armaq₃, rorantesq₃ natant jã in sanguine campi,
Non animum abjecisse metu, non terga dedisse:
Hoc te majore affecit constantia laude,
Quò gravius bellum est, quo mētes implicat *O*rci
*A*rbiter, in corpus quàm quod jacet arma cadu-
Nec sacri tantūm annales tua nomina doctis (cū.
Attingunt foliis, verbisq₃ faventibus ornant:
Quin urbs foeta *V*iris ad vera tuenda paratis,
Quam fatis docuisti olim melioribus alma
*S*cita *D*E I, *S*erveſta, tui bona sanguinis altrix,
Grata tuas etiamnum umbras, cineresq₃ beatos
*V*beribus lacrymis, votoq₃ frequente coronat,
*T*estificans, qualem theſaurum, funere quanta
*P*erdiderit momenta tuo. ſolatia quanquam
*M*agna tuo capit ex nato, qui in ſorte docendi
*T*e ſequitur, donisq₃ animi & te nomine reddit.
*N*ec tibi dedecori eſt, talivē indigna parente
*F*ilia, quam caſti obſtringit nunc copula amoris.
*F*ronti falſus abeſt candor, fraus ſubdola lingua:
*E*lucet pudor ex oculis: ſed pectoris aulam
*N*oticias *C*hrifti, & ſancti fax *F*laminis implet,
*V*nde fides, ſuarvis ceu nidor ad æthera, ſpirat.

Has

Has, oris nitor ac species pulcerrima, dotes
Commendat magis, & nativo illustrat honore.
Nil equidem augustum magis & pollentius esse
Crediderim, aut terra, aut cælo, quã lumina for-
Cujus si qua vacat expertia munere, passim (mæ:
Coguntur lacrymanda pati fastidia, passim
Prostant ludibriis, atq; in contemptibus hærent,
Trita q; sub pedibus nullovolvuntur honore,
Quæ nulli juvenes, nulla optavere puella.
In primis decus, & laudis partem asserit amplam
Hinc virtus sibi, quod fertur pulcerrima rerum,
Quas agitat mentis vigor, et mox exhibet ausis.
Ipsa adeo hac animos, Natura, cupidine, & isto
Imbuit affectu fingens, ut amore feramur
Proclives ad pulcra, prece & tendamus anabela,
Perfixi desideriis, ac tormine miro.
Si quos arte graves Pallas Tritonia, si quos
Reddidit insignes censu rota prospera sortis;
Hos facile invidia, atq; odiis urgemus iniquis.
Formosis, primo intuitu, assuetudine prima
Nos incredibili stringens amor obligat aestu.
Has cultu afficimus solenni; his munera largi
Tendimus: his præsto servilem malumus esse
In morem; quàm freno alios jussisq; tenere:
Illustris

Illustris si praesertim decora aurea forma
Hac teneant lege, ut, velut in sacraria Divum,
Sit nullus reprobis aditus, sit janua nulla,
Et nulli obsceno fas castum attingere limen.

Quare nil nobis mirum, huic submittere Sponsum
Colla jugo, huic nympha adstringi, qua duplici for-
Aucta venit, frontisq; animiq; obnoxia edaci (ma
Illa quidem senio est, & paucis carpitur annis,
Ut videas sensim floris marcescere ritu;
Hac nihil, aut senium, aut Libitinam horrescit avaram.

Verum age jam Sponsi genitorem, Pieri, succo
Sparge tuo irradians. Videor jam clara beati
Ora senis lustrare animo. praelustria pone
Arma nitent virtutum ausis & munere parata.
In binas clypeus partes abit: altera fulva
Vibrantem villos monstrat cervice leonem,
Inq; leves tendentem auras, librumq; tenentem:
Ob palmam gestire putes. at parte propinqua
Excisi puer obscuris in flexibus antri
Aera secat nitida, atq; operas modulamine lenit,
Acer, anhelanti similis: quae carmine cuncta
Ornavit Vates, qui quondam ad flumina Sale
Sacra ferens Musis, lauro & victrice decorus,
Nomineq; & suavi reddebat acanthida cantu.
Illi

Illi autem Nympha quamvis, qua condita servat
Æra solo, ac crebra Mysorum in motibus errant,
Præbuerint & rem lautam, & connubia pulcra
Virginis: haud memoranda æquè tamen ista putat.
Atq; quod Albiacas inter considerare Musas, (rim
Ac animo potuit divina pabula lucis
Non sterili indulgere fide, quo tempore jam tum
Rex Superum mentem LUTHERO miserat autor,
Iret ut in Patris Latii diademata pugnam,
Fretus voce sacra, calamoq; MELANTHONIS acri,
Errorum & situ operta diu Sacra redderet auris.
Namq; etsi Themidos folia incorrupta, struemq;
Terrificam scriptorum operosa indagine solers
Tractabas PVCHNERE; tamè non tenere sueras
Illam artem, qua sola animis, qua dedita Jovæ est,
Expediens hujus mentem, illarumq; salutem.
Sapè ideò dociles adhibebas impiger aures
Luthero, atq; animos sitientes: illius ædes
Sapè anceps rerum sacra tanquam oracula adibas.
Sapè vicem reddens tua non convivia tantus
Despexit Vates. Quare simul illa beatis
Dans radios oculis pietas, tua pectora dudum
Plena Deo affecit quadam contagio salubri,
Quæ comes ad cineres hæsit, quæ transiit æquo

B In

In sobolem adfectu, nec non praeluxit amico
Consiliis jubare usq; tuis, moderamina Crosna
Elysiæ (cujus per colles ultima Liber
Distribuens terris vites vestigia fecit)
Cum gereres gnarus legum. o quam curia fidum
Te sensit tutorem omni sub pondere rerum.
Si qua rigor juris dictabat acerba; benignam
Ad rationem æquo flectebas pectore lenis
Omnia, non serere assuetus, sed tollere lites.
Tu columen viduæ, tu prora parentibus orbo,
Vmbra salubris eras misero, Christiq; ministros,
Nil quibus abjectu est magè, sorte fideq; juvabas.
Tunc etiam, ob scelus ingrata Concordia terra
LUTHERI cum nube animam complexa fugaci
Movit non reditura pedem, seq; intulit astris;
Fundebas gemitus, & testabare, ruina
Sacrorum quanto afficeret tibi corda dolore
Jam mala præcipienti animo ventura sagaci,
Bellonaq; iras, odium & crudele docentum.
Hinc propè cum vitæ Dominus te solvere vitæ
Corporea, cœliq; adytis jam inferre pararet:
Condebas pia vota animi, legemq; ferebas,
Ut sua qui sacra studia olim adjungeret arti
Natorum ex numero, ferat aurèi munera torquis
Ante

Ante alios: eā ab exequiis etiam esse volebas
Sacrorum ad curam stimulo calcaria dulci.

Antè sed Oceano properet se condere Titan,
Omnia quàm possim complecti versibus, hæc vix
Per nebulam Musa aspiciens vix paupere comitu
Exprimere, & tenui potuit signare colore
Artis inops, spaciq̃. aliam sed enim ille suarum
Virtutum effigiem numerosa in prole reliquit:
Præcipuè in Sponso, Aoniis quem dotibus auctū
In Sophia postquam summo decoravit honore
Leucoris: amplexu fovet urbs natalis amœno
Formantem pueros, Siculiq̃. imitabile habentem
Ante oculos senis exemplum, ut ne turgida fastu,
Neu tenebris obducta, strophisq̃. implexa profa-
Sed pia, sed fructu rerum stipata salubri (nis,
Pegasea instillet pibi. Verùm edere plura
Plena verecundi me non vult Musa pudoris,
Nec sanè admittit perspecta modestia Sponsi;
Quando fides miro nos glutine junxit amoris,
Et nodis animos amborum innexuit arctis.

Vos animæ salvete pia, & felicia cœlo
Ocia, sub Christi gremio ac complexibus arctis,
Ducite: dum vobis, sera sed morte, propago
Jungat vestra latus, fœcundaq̃. pignora portet.

B 2 Interea



Interea has fructu Pietas tegat ubere tadas,
Et dives rerum penus, Et pare Gratia nexu.
Vt gemina aëriis Leda cum sidera in oris
Ignibus apparent sociis; tum Rector aquarum
Semiferum Tritona vocat, conchaq; sonantis
Indicio jubet horrifonas revocare procellas,
Et Boreæ premere ora: simul jam lenia nautæ
Flabra vagis ratibus sperant, animasq; secundas.
Sin unum emineat sola face sidus: arenis
Mox imis agitatedum æquor sine more tumescet,
Aurarumq; mina erumpent; mox navita tonsas
Fluctivagas ponto, disjectaq; transtra videbit,
Ipse etiam in seve periturus Doridos æstu.
Haud secus in vita si conjuge mutuus ardor
Fulgeat hinc atq; hinc flammis socialibus: omnis
Res placido cursu fluit, ac felicibus auris,
Statq; potens fortuna domus. divulsa querelis
Aut turpi verò macula concordia lecti
Ilicet exitium, ac clades portendet acerbas,
Et mala dura magis nece. Verum ò talia differ
Illicitos Italum in thalamos dispendia, amici
Sede mei procul, Alme Dei Calor, Ignis Olympi
Omnipotens, sanctosq; illi sacer insere amores
Semper alens parili face, flamma conjuge semper.
Ejusdem

Ejusdem nomine

Ecloga Anno 1576. scripta.

Formosam pastor Melibæus viderat Aeglen;
Viderat, atq; imis conceperat ossibus ignem.
Nec jam illi pecudes ad pastum ducere, ad un-
das
Cura subit, jacet hortorum studiumq; decusq;
Arent usta siti, & violento gramina Sole

Non viridi decorata coma, nemo irrigat imbres
Egelidos: nemo tribulos compescit inertes.
Flamma herbis est exitium, herbarumq; magistro:
Tabescunt herbae, & domini miserantur amores.
Ille ager, macieq; & luctu pallida sternens
Membra solo, ad sepem, sub ramis arboris alta,
Dicitur argutum his secum evoluisse dolorem.

O mihi si qua sedens nemore isto dulcis Aëdon,
Si qua mihi questus & docta accommodet ora
Carminis, effundo dum condita pectoris imi,
Dum divos exposco meis solatia curis.
Ergo ego, quem pecoris, quem cura industria florum
Hactenus innocuum tenuit, Floraq; probavit,
Nunc Veneris sub regna dabo caput? altera jura,
Vna mihi & leges imponet fœmina, & una
Ad nutus mea cepta suos vertetq; regetq;
Quis Deus hunc animum misit? quis ad ista redegit
Servitia? hos unquam potui sperare labores?
Trado manus, nec fata mihi in certamina posco.
Fatum est, quod necit, fatum est, quod solvit amores.

O mire flamma, quâ curis mista resultant
Gaudia, quâ risum lacrymaq; dolorq; sequuntur,
Et risus lacrymas? quâ pax & mobilis ira

Alternò

Alterno subeunt passu, & vaga praelia miscent,
Non equidem thalamum vobis, non abnuo sedem
Corde meo: saltem ô tanti fervoris habenas
Contrahite, & miseris date laxamenta medullis.
Aegle eadem subeat juga, & acres sentiat ictus,
Vnde mihi micet aquus amor, mihi mutuus ignis.
Qui si nullus erit, me lux, me deseret aura:
Si quis erit, luci atq; aura de funere reddar.

O Aegle mea, seu mavis Arethusa vocari,
Prae te jam sordent, nulloq; mihi ordine habentur,
Quas Viader, quas Albis alit, quas ambitus orbis.
Nulla fuit potis antè meos inflectere sensus,
Nec qua meo se nympa unquam jactavit amore.
Tu me sub nova frena trahis, tu carcere vincis
Demissum ad nutus omnes, ad jussa paratum,
Multarum nempe una vices, quas sprevimus olim,
Exigis ultrici flamma, pœnamq; reposcis.
Ah des servitium mite, ah des lenia vincla,
Ne desiderio, penitusq; dolore fatiscam.
Sis instar gelido salientis vertice lymphæ,
Qua marcens fibra in veterem se sparsa vigorem
Erigat, & curis obliviam dulcia potet.
Quas oculis mitto lacrymas, absorbet in ipsis
Victrix flamma oculis, & toto corpore supra est.
O miseri flores, quos horti in margine cerno
Torpentes, tremulaq; ad terram fronte reclives,
Ad mea fortè etiam suspiria suspirantes:
Ne vivo sumptos fonte expectate liquores,
Quos vestris mea dextra comis inspergine molli
Dissupet; exuccos dum Sirius afficit agros.
Ipse ego roris inops, & magno tabidus aestu
Hic jaceo, & vanis etiam vix hisco querelis,

Ab

Ah veniat vobis fecundo Iupiter imbres:
Ah veniat, qua basiolis me proluat udis,
Sive Aegle mea, seu mavult Arethusa vocari,
Nunc me nescio quod fatum, quod numen iniquum
Tàm dulci abstrahit amplexu, & consortia solvit
Dulcia, quâs similem me Divis esse putabam.
Vix ego te posthac (Dii reddant omina vana)
Vicina flores carpentem è sepe videbo:
Oscula nulla feram: tecum vix jungere voces
Fas erit, aut choreas & tortos ducere gyros:
Quandoquidem has etiam sedes, hæc arva relinques,
Atq; ego nequidquam pro te festino regressum.
Quàm vereor, ne dum me patria detinet ora,
Ne mihi quis caper has suaves pede proterat herbas,
Neu mihi candidulas Aegles, Silene, mamillas
Pollice contrectes fusco, inconcessaq; carpas
Basia. Discedens, Socii, vos obsecro, vestra
Sint omnes nympha, & vestro teneantur amore
Aeternum. hanc solam nostre concedite sorti,
Hæc esto mea, & hæc sua sola mihi oscula servet,
Servet delicias, castumq; in corpore florem.
Non aliam amplectar, si se mihi subtrahit Aegle.



CONIVGIO VT SIT FAVSTA TVO LVX ILLA PRECAMVR
QVA PHÆBVS TAVRI CORNYA FLEXA SVBIT.
N. P.



*Id 4212.
8.*

ULB Halle 3
002 391 589




D


So

Ne

VOM







XLIX

47

HONORI NUPTIARVM

QVASORNATIS

SIMVS VIR, PIETATE,

doctrina, & omni virtutum genere praestantissimus D. M. IOHANNES PVCHNERVS, Scholæ Crofnensis moderator,

Cum

Lectissima Virgine VVALPYRGA, Reverendi & Clarissimi Viri, THEODORICI FABRICII, s. Theologiae Doctoris & Superintendentis Servestani B. M. filia, celebrat Servestæ 10. die Aprilis,

Anno Christi

1581.

Scrib. & dd.

GEORGIVS TILENVVS Avrimontanus S.



VITEBERGAE

In Officina typographica Simonis Gronenbergii.

43.